

nistros humanum genus gubernatum est, quorū rector primus populi Dei Noah erat. Ei autem vicarij successerunt Patriarchæ, Iudices, Reges, Sacerdotes & alij, qui pro tempore fuerunt in regimine populi Iudæorum: durauitque regimen illud vsque ad Christum, qui fuit naturalis dominus & rex noster, de quo Dauid regum omnium specimen canit in Psalmo: *Deus iudicium tuum regi da*: Et Esaias 33. *Dominus iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster*. Ipse autem Iesus Christus vicarium suum constituit Petrum & successores, quando ei dedit clauēs regni cœlorum, & quando dixit, *Pasce oues meas*. à quo Imperialis auctoritas, & deinceps ab Imperiali cætera regna, ducatus, principatus & dominia mundi subalterna quadam emanatione defluerunt, vt luculentius infrà id nostræ paginæ series declarabit.

Quòd pro mundi gubernatione necessariò Principes gentium sunt instituti.

CAPVT III.

AD gubernationem autem orbis reges & principes necessarios esse, multis rationibus persualum est. Cum enim naturale sit hominum in multitudine viuere, & diuersi diuersis præoccupentur negocijs: necesse est in omnibus esse aliquid, per quod multitudo regatur. Multis enim existentibus hominibus, & vnoquoque id quod est sibi proprium prouidente, multitudo in diuersa spargeretur, nisi esset aliquis in ea curam habens eorum quæ ad multitudinis pertinent bonum: quemadmodum corpus hominis & cuiuslibet animalis deflueret, nisi esset aliqua vis regitiua communis in corpore, ad omnium membrorū commune bonum intendens. Ait enim Salomon Hebræorum sapientissimus: *Vbi non est gubernator, dissipabitur populus*. Prætereà sicut operationes rerum naturalium procedunt ex naturalibus potentijs: ita operationes humanæ ex humana procedunt voluntate. Oportuit autem in naturalibus, vt superiora mouerent inferiora